

Pilznicensi, Musageta aequae ac Euergeta meo, nec post cineres fati praedicando, in Curia sub terra ob inscriptiones, uetustatis situ ac squalore oblitteratas, sub examen, uocaui *bb*). Illud addere par est, annum seculi XVI quintum Iudaeis in Ducatu & Vrbe Olsnensi admodum fatalem fuisse, quo omnes tanquam capitales Seruatoris nostri crucifixoires ac deceptores publicos ex eo in aeternum eiectiones, nullisque nisi nondinarum temporibus regrediendi mercandique libertatem illis concessam mandato Ducis Caroli I, ex FRIDER. LVCAE *Chron. Siles. cc*) edocemur. Haec quidem, si quid intelligo, manifesto esse indicio possunt, miseras ac calamitates has tales, quibus Iudaeos in eas coniectos angustias, intelligimus, ut, unde uiuerent, uix ac ne uix quidem haberent, tanto sumptuum, qui ad integrum Codicem, glossate ac commentatione ornatum, prelo mandandum, requirerentur, oneri ferendo eos impares fecisse. Verum enim uero perspectum habes, B. L., eiusmodi argumentorum funiculos, ex arena nexos, ingenio litari, non ueritati, neque ex praemissis *Te fugit, me de Codice Iudaeorum Olsnensium Ebraeo differere, ex parte tantum superstite, quem Pentateucho una cum Haphtharoth & V. Megilloth contineri, superius indicaui. Quemadmodum uero filum triplicatum, Salomo Rex ipse, testis est dd*), haud facile conuelli: ad eundem quoque *tres* sententiae nostrae *rationes* robur addent, quarum *priores duas*

C 3

ex

*bb*) Plures duobus, quos uidi, Cippos sub terra in Curia Vratiflauensi latitare, Lapidida Reipublicae eiusque seruis certior fiebam. Cippis uero stilo lapidari ebraeo Iudaeorum demortuorum, qui sub iis, uel potius ad eos sepulti quondam fuerant, nomina, aetatem & dies emortuales incisos esse, pluribus e *Triga Meditatorum Criticorum* meorum, patebit, ut &, quid de HOTTINGERI *Cippis ebraicis* Heidelbergae A. O. R. ∞ 10 C LIX in forma ordinis XII primum excusis, sit habendum.

*cc*) Vide Tom. II. P. VII, cap. IV. p. 2195

*dd*) Legatur *Ecclesiastes* cap. IV. c. 12.